Toletana Decimarum super septem tenimentis.

Reu. Pater. IN noua mea Facti, & Iuris allegatione fuerunt ad euidentiam sublata omnia æquiuoca, quæ in facto consueuerunt exaduerso proponi, & ad euidentiam probauimus ex depositionibus Testium examinatorum in hac Causa anno 1702. fuisse exuberantissimè probatam consuetudinem immemorabilem quoad certa determinata Prædia semper culta expensis Monasterij, & ex quibus nunquam soluta fuit decima, & proindè iuremerito ex consueta Iustitia RR. PP. rescribendum speramus esse reuocandam Sententiam, iuxtà modum scilicèt quoad vnicam Tenutam 40. fanegarum sitam in Territorio de Oleas, & quod omnia Olíueta, quæ Monasterium possidet tàm in dicto Territorio de Oleas, quàm in Valle S. Dominici, in Territorio de Magan, Alcabon, & Xeridote, quo verò ad cætera Bona per Monasterium possessa non impugnamus quin Sententia Rotalis sit confirmanda.

Indubitantèr in hodierna controuersia, quià Pars aduersa gratiam Monialibus fecit compulsandi, & producendi in actis titulum, quo 400. ferè ab hinc annis Archiepiscopus, & Capitulum ex causâ, & quasi per viam Transactionis concessit nostro Monasterio in limine fundationis, & ad supplicationem Serenissimi Regis Hispaniarum exemptionem a solutione Decimarum ex fructibus tot Bonorum, quorum valor ascenderet ad 25. mil. marapetinos, vt ex *Summario Partis hodierno num.2. litt.A. §.Che le Monache in fine*, & magis specificè, & distinctè *in nostro 2. Summ. additionali num.1. litt.TT.*, & per totum quam concessionem fuisse validè factam ab Archiepiscopo, & Capitulo anno 1368. siue æra 1402., vt plenè probauimus *in nostra Facti §. Præmissa, & §. Etenim respondemus cum pluribus seqq.*, & doctissimè *in nostra Iuris allegatione §. Nec obiciatur cum plurib. seqq.*, præsertim attenta subsecuta plurium sæculorum obseruantia, quapropter cum Moniales nunquam coluerint, nec de præsenti colant tot Bona, quæ ad dictam summam, pro qua fuit concessa exemptio, meritò reuocandæ sunt Sententiæ, quoad Possessiones, quæ ascendunt ad valorem 25. mil. merapetinorum monetæ tunc currentis.

Et in omnem casum saltem dicta concessio facta per Archiepiscopum, & Capitulum ad instantiam Regis Cattolici ex causa pietatis, & ad effectum ne Moniales impetrarent à Sede Apostolica plenarium exemptionis Priuilegium, dicta concessio saltem deseruire debet pro Titulo colorato, quæ iustam præbuit causam præscribendi nostro Monasterio, quo stante titulo, & irrefragibili obseruantia qua-

quadragenaria indubitanter per Teſtes probata, proùt ex depoſitionibus Teſtium in noſtra facti tranſcriptis omnes dd. Tituli, quemadmodum demonſtrant Iuſtitiam exemptionis noſtri Monaſterij, ita quoque cauſam præbent pro reuocatione Sententiæ Rotalis, quoad Bona per Monaſterium poſſeſſa, quorum valor non excedit ſummam 25. mil. merapetinorum iuxta valorem qui currebat de tempore conceſſionis, vt plenè probauimus in noſtris Informationibus.

Hinc corruunt omnia æquiuoca, quæ exaduerſo cumulantur, nam primum ſuppoſitum, quod ſcilicet iſta præſcriptio ex parte Monaſterij probari debet quoad Prædia certa, & determinata, nam vltra quod dicta propoſitio procedit in ſolo caſu, quo agatur de Iure actiuo acquirendi titulo præſcriptionis, Ius decimandi contra habentem Iuris aſſiſtentiam in quibus terminis procedunt omnes authoritates in contrarium adductæ, ſecùs verò in caſu noſtro, quo Moniale prætendunt exemptionum paſſiuam à ſolutione Decimarum quoad illa prædia, quæ proprijs expenſis colunt, quo caſu ſufficit ſola cauſa vniuerſalis fundata in qualitate culturæ proprijs expenſis, vt doctiſſimè probat *D. meus in Iure ſcribens* §. *Quoad primum*, & §. *finali*, dicimus quod etiamſi iuxtà ſenſum Partis eſſet neceſſaria, adhùc tamen de illa plenè depoſuerunt noſtri Teſtes tam ſuper articulis, quàm ſuper interrogatorijs Partis aduerſæ, illi enim poſtquam depoſuerint Moniales nunquam per annos 40. 50. & 60. ſoluiſſe decimas, ex fructibus Bonorum, quæ proprijs expenſis coluerunt, poſtquam depoſuerint, id etiam audiuiſſe a Maioribus, ac depoſuerint, quod nihil dictum viſum, vel auditum fuerit in contrarium poſtmodum deuenerunt ad ſpecificationem certorum prædiorum, quæ Monaſterium ſemper coluit proprijs expenſis, & ad ſpecificationem Tenimentorum, quæ Monaſterium ſemper locare conſueuit, ita vt ſemper retenta fuit eadem metodus per Monaſterium, nam ſemper Monaſterium coluit certa, & determinata Prædia, & ſemper locauit alia certa, & determinata prædia, abſque eo quod nunquam ea, quæ locare conſueuerat proprijs expenſis coluerit, neque ea, qua proprijs expenſis coluit nunquam locauit, proùt diſertè, & cum omnimoda ſpecificatione depoſuerunt noſtri Teſtes, nam vt probaui *in mea Facti* §. *Quoad, primum articulum* Teſtes depoſuerunt quod Monaſterium poſſidet in Territorio de Oleas tredecim Tenutas, quarum quælibet conſtituitur ex 40. fanegis, quodque ſemper viderunt toto tempore ſuæ recordationis à Monaſterio coli proprijs expenſis vnam ex de 13. tenutis, quodque alias 12. ſemper locauerit, itaùt quoad vnicam Tenutam 40. fanegarum in Territorio de Oleas probatio non poteſt eſſe magis ſpecifica, & determinata.

Proùt quoque ſpecifica, & determinata eſt exemptio quoad omnia Olivueta, quæ Monaſterium poſſidet tam in dicto Territorio de Oleas

Oleas, quam in termino vallis S. Dominici, quàm de Magan, Alcabon, & Xeridote, quæ omnia Olivueta deposuerunt Testes quod toto tempore suæ recordationis viderunt illa fuisse culta proprijs Monasterijs expensis, & proinde ex illis nullam decimam fuisse solutam, vt plenè probaui *in mea Facti* §. *Præterea cum plurib. seqq.* vbi probaui quod Testes deposuerunt de cultura dd. singulorum semper facta proprijs expensis Monasterij.

Subiungit Pars Aduersa in §. *Quod autem*, quod scilicèt *Testis in n.26.* examinati ex parte Monialium quinque tantum per nos selecti fuerint, ex quo cæteri essent nostro Monasterio damnosi, sed nos dicimus, quod omnes Testes ex parte nostri Monasterij examinati fauore dicti nostri Monasterij deposuerunt, nam non solum dedimus *in Summario num.3.* depositionem quatuor Testium, sed dedimus etiam depositiones aliorum Testium de quibus in *Summario num.4.* ad finem, & ad diluendam hanc Partis exceptionem in secunda propositione habita coram Reuerendissimo Cerro transcripsimus omnes depositiones aliorum Testium non descriptorum *in Summario Principali*, & ex eorum lectura constat, omnes deposuisse fauore nostri Monasterij, vt ex lectura apparet.

Subiungit Pars Aduersa, quod Testes deponant in confuso, è præsertim Tomas Gutticrez de Paramo, *vt ex Summario Partis distributo coram Reuerendissimo Cerro num. 5. litt.D.*, & dicit deponere in confuso, ex quo deposuit, quod aliquibus annis coluit vnam ex petiam, & alijs annis vnam cum dimidio, nos autem in *nostra Facti* §. *Quoad primum*, transcripsimus præcitati Testis depositionem fideliter, prout est transcripta *in dicto Summario Partis cum d.Testis deposuerit*, quod in Territorio de Oleas Monasterium possidet 13. Tenutas, quodque vidit Monasterium coluisse proprijs expensis, vel vnam ex de Tenutis, vel vnam cum dimidio nos autem prætendimus dumtaxat exemptionem vnius ex dd. Tenutis, quam semper proprijs expensis coluit Monasterium ex illis 13., vnde si hic Testes deponit, quod aliquoties plus coluerit, quàm vnicam Tenutam, hoc non tollit quin semper vnicà Tenuta proprijs expensis Monasterij semper culta fuerit, vt deposuerunt alij Testes transcripti in *nostra Facti* §. *Quoad primum*, & §. *Idem deposuit*.

Et licèt præfatus Testis, vt obseruat Pars Aduersa deponit de alijs Bonis Monasterij, vel locare consuetis, vel recenter acquisitis nos dicimus, quod nostrum Monasterium de illis non prætendit exemptionem à solutione Decimarum.

Subiungit Pars Aduersa, quod depositio Ioannis Matute paritèr sit confusa, sed id in facto non subsistit cum d. Ioannes Matute specificè deponit, quodque toto tempore suæ vitæ, & de auditu à maioribus, quod Monasterium semper coluit proprijs sumptibus vnam ex dd. 13. Tenimentis, cuius verba transcripsi in *dicta mea Facti d.* §. *Quoad primum in fine*, & illius depositio est registrata *in nostro Sum-*

Summario num. 3. litt. GGG., *& in dicto Summario Partis num. 5. litt. Q.* ibi = *Primieramente nel termine di questo luogo de Oleas tiene, e possiede il detto Regio Monastero 13. pezzi di Terreni coltiui ciascheduno di 49. misure vulgo Fanegas in diuersi siti, li quali sono molti anni, che il detto Monastero li possiede, secondo hà udito dire dalli suoi Maggiori, e più antichi, e che di loro hà visto il Testimonio in tempo suo lauorare, e coltiuare il detto Monastero vna delle dette pezze, e raccogliere il suo frutto à sue spese, e che similmente lauoraua, e coltiuaua antecedentemente il medesimo Terreno secondo sentì dire dalli suoi Maggiori, & altro Terreno di dette pezze (scilicet di dette Tenute) l'hanno hauuto, e tengono in Affitto diuersi abitanti di questo Luogo* = vnde nescimus capere quomodo Pars Aduersa dicat d. Testem in confuso deponere, quando deponere non potuerit cum maiori indiuiduatione, prout etiam cum eadem indiuiduatione deposuit Franciscus Duro circa culturam continuam vnius ex dd. tresdecim Tenimentis, *vt ex Summ. nostro num. 3. litt. RRR.*, *& d. Summ. Partis num. 5. litt. GG.*

Nec obijci potest præcitari d. Testis depositioni, quod circa exemptionem deponit solum de annis 30., nam *vt ex Summ. Partis litt. EE.* deponit de visu vltra annos 40. ibi = *Dixit, che il detto Regio Monastero, e stato in possesso quieto, e pacifico in sino, che si principiò questa lite dà 5. 10. 20. 30. 40., e più anni, e tanto tempo, che non vi è memoria d'Vomini in contrario di non pagar Decima alcuna &c.* & quamuis inferius subijciat ita vidisse practicari 30. annis, de dicto tempore deponit de facto proprio, ex quo dicto tempore fuit Affictuarius. Stefanus Diaz Guttierez, & Alfonsus Blas nihil deposuerunt circa culturam bonorum in loco de Oleas, sed solum deposuerunt in genere ex fructibus bonorum, quæ proprijs expensis colebant nunquam Decimas persoluisse de auditu à maioribus, & alijs requisitis immemorabilis, vt ex lectura apparet.

Progreditur Pars Aduersa *in §. Vltra defectum*, & prætendit quod nostri Testes non coarctauerint negatiuam non solutionis, nam non solum dictum requisitum non est necessarium, cum illud contineatur sub dicto requisito, *quod nihil dictum visum, vel auditum fuerit in contrarium*, *vt probaui in mea Facti §. Subiungit contraria decisio*, sed quatenus esset necessarium præfatum requisitum, adhuc duo Testes de dicto requisito deposuerunt, quod sufficit, vt probaui in mea *Facti d. §. Subiungit, & §. Et de eadem negatiua.*

Subiungit Pars Aduersa, quod Thomas de Paramo secundus ex Testibus datis in *nostro Summario* non solum de dicta negatiua non deposuit, sed potius deposuit contrarium, dum deposuit, quod potest esse, quod Affictuarij Decimas perierint, quodque ipse nesciuerit, nam cum idem Testis superiùs deposuerit nunquam sciuisse, vidisse, aut audiuisse, fuisse petitas Decimas, *vt ex Summario nostro num. litt. D.* ibi = *Senza, che persona alcuna, che lui Testimonio abbia*

abbia saputo, visto, udito, ne inteso, che l'habbia dimandato per stare insino, che si principiò questa lite in possesso di non pagarle = & inferius litt. L., postquam deposuerit de auditu à maioribus subiungit ibi = Senza che gl'uni, ne gl'altri nelli loro tempi, ne lui Testimonio nel tempo suo insino, che si cominciò questa lite auessero, nè abbino visto, udito, saputo, nè inteso cosa alcuna in contrario, vnde cum subindè reinterrogatus super Partis interrogatorio, an sit possibile, quod Collectores Decimarum Decimas petierint, & ipse nesciat, & Testis responderit esse posse, quod petierint absque eo quòd ipse sciuerit hæc depositio depossibili non eneruat præcedentem suam depositionem, in qua repetitis vicibus deposuit ipsum nunquam vidisse, sciuisse, aùt audiuisse quidquam in contrarium, & hoc est illud requisitum, quod requiritur ad immemorabilis probationem, & eodem modo respondetur ad depositionem Ioannis Matute, qui paritèr super Partis interrogatorio deposuit de eadem possibilitate, quod Collectores Decimas (petere potuerint), & ipse nesciuerit, neque alitèr poterat super dicta interrogatione respondere cum impossibile sit, vt reperiatur Testis, qui semper fuerit in Tenutis Monasterij, & nunquam discesserit, sed dictus Ioannes Matute duabus Vicibus in sua depositione deposuit de illo requisito, quod neque ipse, neque sui maioris aliquid viderint sciuerint, aut audiuerint in contrarium, cuius verba transcripsi in mea Facti §. *Et de eisdem duobus requisitis* deposuit Ioannes Matute,

Prosequitur Dominus in facto Scribens, quod secundus defectus prætensæ immemorabilis deducitur, ex quo Testes deposuerint de reclamationibus, & contradictionibus Dignitatis Archiepiscopalis ad quem effectum allegat Summarium *nu. 5. litt. Z.*, sed inutilis est ista exceptio, nàm opporteret specificè probare, quod Archiepiscopus reclamauerit contrà Moniales circa Decimas Bonorum, quæ proprijs expensis colebat, & vnicus Testis, qui exaduerso allegatur non solùm deposuerat, quod circa Decimas bonorum, quæ Monasterium proprijs expensis colebat nullę adfuerint conquestiones, imò hic Testis perspicuè deposuit, neque ipsum, neque sui maiores vnquam viderint, sciuerint, aùt audiuerint quidquam in contrarium *Summario Partis litt. P.* in fine, *& in litt. Z.*, vbi à Parte aduersa allegatur solummodò dicit ibi = *Si ricorda, che nel tempo di detto Don Pasquale d' Aragon Arciuescouo, che fù di Toledo si lesse nella Chiesa di questo luogo vna lettera di scommunica, acciò che tutte le Communità, che auessero comprato, ò acquistato bene di Campagna per qualsiuoglia titolo, e coltiuasse, e raccogliesse li loro frutti, pagasse le sue Decime, e non si ricorda l'effetto, e che ebbe* = ità ùt non fuit contradictio specialis facta contra Monasterium, sed contradictio generalis contra illos, qui recenter bona acquisiuerant, ad hoc vt ex illis decimas persoluerent, & proindè ex alia

ra-

ratione non tangit bona antiqua nostri Monasterij, & suis expensis culta, neque dicta Epistola concernit exemptos, aùt Bona exempta. Prò tertiò defectu allegatur, quod Testes assignant initium nouæ culturæ introductæ à Monasterio, & deindè ampliatæ ad omnia prædia, etiam ad illa recentèr acquisita.

Cessat ex facto, dùm Monasterium solùm restringit suam exemptionem ad bona antiqua semper culta expensis Monasterij, nempè ad vnicam Tenutam in loco de Oleas, & ad olitueta antiqua Monasterij semper culta expensis eiusdem.

Opponit quartum defectum, quod scilicèt nostri Testes non deponant de secundo auditu, sed pariter hic quartus defectus sublatus remansit non solùm, quia de iure non est necessarius, sed etiam obiectum remanet ex facto sublatum dum probauimus in nostra Facti Testes de hoc secundo auditu disertè deposuisse §. *Subiungit* §. *Verùm quatenus cum pluribus seqq.*

In contraria Facti §. *Certò certius* dicitur ex nostra parte saltèm prætendi, quod Olitueta de Oleas sint declaranda exempta, & prætendit Testes non deposuisse dd. Olitueta fuisse culta semper expensis Monasterij per cursum 40. annorum, & ad hunc effectum transcripsit depositiones duorum Testium, qui vt constat ex lectura etiam depositionum exaduerso transcriptarum illi deponunt de continuata cultura toto tempore vitæ suæ; nos autem ex tribus Testium depositionibus probauimus Olitueta in Territorio de Oleas semper fuisse culta expensis Monasterij, vt in mea facti §. *Præterea* Dicimus etiam, quod consuetudo probata fuit quoad olitueta, quæ Monasterium possidet in Valle S. Dominici, vt in mea Facti §. *In Valle S. Dominici*, & §. *Sequenti*; Prætereà probauimus in mea Facti quod Monasterium semper possedit Olitueta in Territorio de Magan Xeri dote, & Alcabon, quæ semper coluit suis expensis, & ex illis nunquam Decimam persoluit, vt in mea Facti §. *Prætereà* & §. *Quo verò*.

Denique prò corouidè Pars aduersa dicit, quod facta per Moniales descriptione bonorum, quæ possidebant circa annum 1400. constat ex eo, tunc nullam possedisse aliquam ex controuersis Tenutis, *vt ex Summario Additionali Partis aduersæ num.2.*, & proindè cum fuerunt post dictus tempus acquisitæ, videtur constare de initio possessionis, quod repugnat immemorabili.

Respondemus enim, quod non solùm istæ acquisitiones tanquam factæ ante 100. annos, imò antè biscentum vtique ista acquisitio facta post annum 1400. non tollit effectum immemorabili posterioris vt probaui in mea facti super Tenimentis de Perobequez *num. 23.*, dicimus quod dicta Instrumentum iugulat Partis prætensionem, nàm cum æro 1402. in limine fundationis nostri Monasterij fuisset concessa exemptio ex Causa ab Archiepiscopo, & Capitulo pro bonis vsque ad valorem 25. m. Merapetinorum mon. tunc currentis, quod-

quodque postmodùm æra 1417. scilicèt anno 1368. fuit facta æstimatio bonorum assignatorum pro dote Monasterij, & tunc Moniales possidebant totum Tenimentum de Perobequez, quod fuit æstimatum 12,m. merapetinis, & duas Vineas in Territorio Toletano, quæ fuerunt æstimatæ 7500. merapetinis, itaùt cum pretium dd. bonorum non ascenderet ad d. summam 25. mil. merapetinorum fuerunt omnia dd. bona declarata exempta à solutione Decimarum, vt pleniùs ex nostro secundo *Summ. Additionali nu.*2. cum Pars aduersa integrum tenorem in suo Summario Additionali non conscripserit. Cumque propstereà Moniales non ampliùs possident dd. duas vineas in Territorio Toletano, & deficiebant pro complemento exemptionis bona, vsque ad valorem sex mille merapetinorum, vtique cum bona, quæ per Monasterium solita fuerunt proprijs expensis coli non excedant summam pro qua concessa fuit exemptio, merito prò dd. bonorum exemptione venit omninò rescribendum, vt reuerenter supplicatur.

Quarè &c.

V. Angelus Caualletti.

R. P. D.

FALCONERIO


Toletana Decimarum ſuper ſeptem Tenimentis.

PRO

Ven., & Regio Monaſterio Monialium Clauſarum Ordinis S. Dominici Ciuitatis Toleti.

CONTRA

Illm̃um, & Rm̃um Archiepiſcopum, & Capitulum Toletanum, alioſque Decimarum comparticipes.



Reſponſio Facti ſuper ſeptem Tenimentis

Typis Zinghi, & Monaldi 1724.